

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Mirabile siue miraculum s cum uariis

Res multis modis apparent mirabiles, aliquando ex magnitudine, aliquando ex paruitate, aliquando quia rare, aliquando quia pulchre. Secundum magnitudinem attenditur quando res quelibet sui generis modum in quantitate excedit; sic miramur gigantem inter homines, cetum inter pisces, grifen inter uolucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes. Secundum paruitatem considerantur quando res quelibet ceteris sui generis quantitate equari non potest ut tineae et uermes et cynifes et alia similia que inter cetera quidem animalia uiuunt, sed ceteris omnibus corporis exiguitate dispares sunt. Vide ergo quid magis mireris dentes apri uel tineae, alas grifi uel cynifis, caput equi uel locuste, crura elephantis uel culicis, leonem uel pulicem, tigridem uel testudinem. Ibi miraris magnitudinem, hic miraris paruitatem; illis dedit oculos quos uix comprehendere potest oculus et in tam exiguis corporibus sic omnifariam iuuamenta nature sue congrua plenissime distribuit ut nichil uideas deesse in minimis eorum omnium que natura formauit in magnis.

Hugo de operibus trium dierum.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

multis] multi (*cor. supra lin.*) C; paruitate] prauitate V¹; homines] hominem P V¹ V²;
grifen] grifonem P V¹ V² L¹ L²; grifen inter uolucres *om.* C; paruitatem] prauitatem V¹;
ceteris *om.* (*cor. in marg.*) B; generis] sui *add.* M; cynifes] cynifices (*cor. sub lin.*) C;
locuste crura] coluste cura M; testudinem.] testudinem? V² L¹ L²; hic] hoc V¹; omnifariam]
omnifaria P V¹ V² L¹ L²; eorum] earum P V¹ V² L¹ L²; operibus] operationibus P V¹ V² L¹ L²